



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 137. Condæus Princeps captus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI
A. C. 1560.

tur, Guisii tamen in suis sedibus permanentes nequaquam in eorum amplexus pro more properabant, sed ambos remisse admodum excipiebant: postea vero Rex illos ad Reginæ Matris suæ cubiculum deduxit, minime sequentibus Guisianis, ibidemque obortis subinde lacrimis, vultuque ad tristitiam specietenus composito Catharina illos excepit, Rex autem sermone ad eos converso pauca de criminibus Condæo Principi objectis differuit, atque ob hæc, ut ea diluerent, ambos ad aulam esse evocatos dixit.

§. CXXXVII.

Condæus Princeps captus.

Thuan. l. c.
Mem. du
Castel. l. 2.
c. 10.
Belcar. com.
l. 29. n. 8.

Verum Condæus Princeps nihil inde perterritus magna fiducia, ac voce minime tremula respondit: „cuncta crimina quorum postolor reus, sunt nonni-
„si calumniæ a Guisiis Principibus
„confictæ, atque innocentia mea
„tutus ad Regis mandatum Aulam accessi, paratusque sum, ut coram Rege
„culpam diluam. „ Si tuis verbis veritas subsit, reposuit Rex, ad melius detegendam veritatem solita justitiæ via quærenda est: postea discedens Philippo Mallio Brezæo, & Francisco Chaviginio Regii Satellitii Præfecto negotium dabat, ut Principem comprehenderet,
atque

atque ad ædes vicinas deduceret, in quarum angulo propugnaculum lateritium desuper minoribus belli tormentis hinc inde dispositis munitum ad tres subjectas plateas respiciebat. Sub idem tempus clatris ferreis illarum ædium fenestræ firmabantur, pluresque portæ muris obstructæ fuere. Postea Condæus, cum in custodiam abduceretur, sæpius sacram Regis, & Cardinalis fratris sui fidem elata voce contestabatur, questus, quod se, totamque familiam suam hostibus prodidissent. Huic decreto Rex, ceterique Proceres, imo ipsemet Hospitalius Cancellarius, invitus licet, subscripsere, id consulente, ut fertur, Brisaco Marescallo, qui in tali discrimine nullam cujusvis Personæ, dignitatisque rationem esse habendam, sed reos, cujuscunque conditionis essent, plectendos affirmabat.

§. CXXXVIII.

Navarræ Rex custodiæ datus, suorumque plures capti.

Quamvis Navarræ Rex majori libertate frui videretur, nihilominus clam custodiebatur; quippe non solum e suo famulatu omnes eidem fuere adempti, sed etiam valida delectorum manus eum continuo stipabat, submissique fuere, qui cuncta ipsius verba, nutus-

I i 5 que,

Sæc. XVI.
A.C. 1560.